

De chlorosi : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Leo Rave.

Contributors

Rave, Leo.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Friedlaenderianis, 1837.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bked2tj9>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DE
CHLOROSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DE VII. MENS. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICAE DEFENDET

AUCTOR

LEO RAVE

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

H. ZUMNORDE,, MED. ET CHIR. DR.

A. STEGHAUS, MED. ET CHIR. DD.

I. ANT. HAPIG, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

DE
CHLOROSI.

DESSERTATIO

IN ACADEMIA MEDICA

PRIMA

CONSENSU ET AUCTORITATE

ORDINIS MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

PRIMA MEDICA CLINICA

ET SURGICA

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

AD HOC CONCORDANTUR

ANNO DOMINI MDCCLXXVII

N. L. G. S.

PUBLICE DEFENDIT

AUCTOR

LEONHARD

GUERTELINUS

OPPOSITIBUS:

H. ZUMMORDE, MED. ET CHIR. DR.

A. STEIGER, MED. ET CHIR. DR.

I. ANT. HAPPEL, MED. ET CHIR. CAND.

RECTOR

TYPIB. FRIDRICH ANDERLINIS

P A T R I

OPTIMO DILECTISSIMO

ALEXANDRO RAVE,

MEDICO PRACTICO.

AUCTOR.

tatis periodum infestare solet. Infitiandum tamen non est, feminas et adultiores, praesertim laxiori corporis habitu praeditas, hoc malo nonnunquam corripui. Sunt quoque, qui affirmant, et in iis, quibus catamenia vel legitimo more, vel etiam copiosiora fluant, chlorosin accidere posse. At hi in errore versati, quippe qui cutis a ratione sana discedentem pallorem chlorosin esse ducendam censuere; quare etiam viros nostro morbo affligi posse arbitrati sunt. Sagacissimi enim medici quales Fridericus Hoffmannus,*) qui morbum illum virgineum circa pubertatis periodum viro jam maturas virgines frequenter infestantem unice ab impedito mensium fluxu originem trahere contendit. Th. Sydenhamius**) vir memoriae immortalis, doctissimus W. Cullen***) aliique optima duce experientia, morbum chloroticum neque ulli puellae, nisi catameniis deficientibus, vel parcius fluentibus accidere docuerunt.

*) Fr. Hoffmannus — opp. omn. physico-med. — Genevae 1740. Tom. III. p. 313. §. 12.

**) Th. Sydenhamius — Dissertatio ad virum Cl. Cole de affectione hysterica.

***) W. Cullen (Anfangsgründe der Arzneikunst. 2 und 3 Bd.

LITERATURA.

Joerg — Handbuch der Krankheiten des Weibes.

Mende — Die Krankheiten der Weiber.

Siebold — Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmer-Krankheiten.

Carus — Handbuch der Gynaekologie.

Haase — Ueber die Erkenntniss und Kur der langwierigen Krankheiten.

Brandis — Erfahrungen über die Wirkung der Eisenmittel im Allgemeinen, und des Driburger Wassers ins besondere.

Encyclopaedisches Wörterbuch der medizinischen Wissenschaften. 7 Bd. art. chlorosis.

Pet. Frank — de curandis hominum morbis.

Horns Archiv für pracktische Mediziner und Kliniker. Bd. 5.

Hufelands Journal der pracktischen Heilkunde.

B. 20. St. 1. p. 9.

Marcus — Jahrbücher der Medizin als Wissenschaft B. 1. H. 9. p. 92.

Fleisch und Schneiders Handbuch über die Krankheiten des mannbaren Alters. B. 1. p. 215

Gottl. Aug. Richters specielle Therapie B. III S. 757.

Vera chlorosis, spuriae, secundariae vel symptomatice, quam dicunt, externe quodam modo similis, ab hac spuria ipsa sua natura differt. Quare nunc ad signa, quae vocant pathognomonica, morbi virginei transituri simus, quibus veram chlorosin a spuria aliisque morbis utut simillimis dignoscamus. Haec autem sunt signa, quibus veri morbi chlorotici diagnosis nititur.

Symptomata. 1) Defectus mensium aut parcior eorum fluxus in puellis tempore pubertatis et in feminis adultioribus habitus laxioris. — Cullen quidem in prima nosologiae editione chlorosin, catameniis legitime fluentibus, nonnullas puellas infestare docebat: in secunda vero elementorum praxeos medicinae editione*), a pristina sententia prorsus descivit, experientia duce, confirmans, morbum chloroticum cum deficiente vel parciore fluxu menstruo necessarie esse consociatum.

2) Color cutis pallidus, vel ex viridi pallescens, vel gilvus, genae laxae, palpebrarum livor, circumque eas tela cellulosa in modum sacculi pendulumens, neque minus tota corporis superficies turgida.

*) Cullen — elementorum praxeos medicinae editio secunda — deutsche Uebersetzung. Leipzig 1789. 3 Bd. 273. u. f.

3) Musculi flaccidi et soluti, quare ingens lassitudo, et nata inde ad movendum inertia. — Animi torpor, pedum frigus et inflatio, motu corporis accelerato, praesertim sub scalarum ascensu, respirandi difficultas, tremor cordis et palpitatio.

4) Pulsus parvus, mollis, facile comprimendus, semper plus minusve frequens, nonnunquam ad 130 arteriarum ictus ascendens.

5) Appetitus dejectus, cui saepius junguntur pathemata cardialgica, capitis dolor, inprimis clavus hystericus, animi deliquia etc.

6) Urina citra colorem mingitur valde aquea, in progressu morbi turbida. Sanguis aquosus, languide rubens, mucosus, parum cruoris continens. Catamenia, si qua fluunt, decolora, carniū fere loturam simulantia.

7) Auriculae albentes.

§. 3.

Quibus signis pathognomonicis superveniunt alia, maxime ex ventriculi nervorumque consensu progenita, uti malacia, fames praeternaturalis, ructus, borborygmi, nausea et vomitus, alvus adstricta aut laxa, abdomen plenum, inflatum, tensum. Animo moroso solitudinem chloroticae virgines amant,

variisque pathematibus hystericis et melancholicis vexatae nunc salaciores sunt, nunc omnem respuunt venerem.

§. 4.

Morbo progredienti et ad fatalem exitum vergenti oedemata crurum et manuum facieiue, nec non ascites, hydrothorax, phthisis pulmonalis, indurationes viscorum imi ventris, tandem febris hectica se adjungunt.

§. 5.

Symptomata chlorosis menstruumque suppressionis perquam eleganti ad naturam expressa carmine leguntur apud Coules, cujus versus hic opponere liceat.

„Succedunt gravitas membrorum udique tumores,
 „Fertque suum corpus non patienter onus;
 „Succedunt placitarum olim fastidia rerum,
 „Ipsius et vitae nausea tetra subit;
 „Ulceraque et putres ruptis formacibus ignes,
 „Et vomitus mixto sanguine terribiles.
 „Nunc labor, atque uteri nequicquam pugna furentis.
 „Et mortes, anima mox titubante, breves.
 „Pectore tardus nunc domito vix spiritus exit.

„Mox omnes artus tussis anhela quatit.
 „Ipsa etiam victor scandit capitolia mentis,
 „Et cerebri gyros occupat hostis atrox.
 „Hinc vigiles noctes, vigiles sed somnia terrent;
 „Veraque mens patitur dum mala, falsa creat.
 „Iactatamque diu serus vitam obruit hydrops,
 „Atque anima e mersa naufraga puppe natat.
 „Ah quoties verno gemmantes flore puellas
 (,Multi sagittifero jam maditante Deo)
 „Hic ferus exurit subita rubigine morbus!
 „Flet deceptus amor, tristis amatus abit.

Discernimus igitur chlorosin veram a spuria eo, quod illa tantum in feminis cum deficiente aut parciore mensium fluxu conjuncta; haec vero etiam in viris accidit, nullam igitur cum amenorrhoea societatem init.

Quandoque medicum, ut in dignoscenda chlorosi labatur, verumque morbum cum supposito confundat, per malum omnino diversum induci posse, sequens ex patris adversariis deprompta morbi historia clare confirmat. In puella decem et septem annos nata, olim sana et vegeta, cui catamenia primum ante viginti menses, deinceps more justo quinquies fluxerant, ex causa incomperta menstruum apparere omnino desinebat. Ab initio puella vigoris speciem prae se ferens sat bene valebat:

post hac autem paulatim artuum lassitudinem, appetitum dejectum, tristem et afflictam animi conditionem etc. conquerebatur. Mox accedebat tussis cum macie corporis juncta. Medicus in auxilium vocatur, qui, nostram puellam phthisi pulmonali tuberculosa correptam esse, ratus, huic morbo varia, phthisi pulmonali convenientia remedia opponit, sed omnia incassum, morbo in dies ingravescente. Nunc patrem, medicum, arcessunt, a quo, examine puellae aegrotae praevis, haecce morbi symptomata annotantur: ingens lassitudo, ut vix extra cubiculum procedere valeret; appetitus prostratus, perpetua tristitia, ut saepissime lacrimas funderet; varia symptomata hysterica, facies ex pallido virescens, labia pallentia, lingua tumida, tussis assidua, sed sicca, dolores pungentes modo in hac, modo in illa pectoris parte; respirandi difficultas, tum maxime motu corporis aucto — alvus legitima, urina limpida; pulsus parvus, debilis, celer; normalis caloris gradus vix auctus. — Pater haec symptomata a morbo chlorotico esse derivanda, neque tamen jam nunc phthisin pulmonalem subesse et ferrum causae hujus morbi optime convenire existimans, illud una cum remediis antihystericeis adhibere statuit. Et ferri usu puellae valetudo restituebatur.

§. 6.

Causa morbi proxima sive intima est vasorum, quae sanguinem vehunt, minimorum, imprimis uteri, laxitas atque atonia perpetua ¹⁾ qua efficitur, ut catamenia vel plane deficient, vel parcius fluant. **Gottl. Richter** ²⁾ proximam morbi chlorotici causam nimis debili atque incompletae organisationi tribuit, quae nondum sit satis confirmata, ut magnos virium conatus exercere, vel illa materia organica ad sese ipsam excolendam et conservandam necessaria carere possit. — Quamque enim de catameniorum causis sententiam tuleris, negare tamen dubitabis, impetum sanguinis per uteri arteriolas minimas, quas capillares vocant, fluentis, ut sanguis erumpat, auctum, unaque refluxum per venulas sese contrahentes minimas imminutum esse debere. Ex quo patet, sanguinem ad parietes vasorum uteri majori vi adactum effundi. In puellis vero chloroticis cum uteri arteriae capillares, tum venulae justo laxiores debilioresque sunt, impetus igitur sanguinis versus uteri arteriolas neque satis augeri potest, nec venulae, ut refluxum sufficienter impe-

1) Et. Cl. Cullen (Anfangsgründe der prakt. Arzneik. Leipzig 1739. 2. Bd. S. 521.) et ejus interpret gallicus, Rosquillonius causam amenorrhoeae, qua chlorosis progignatur, in laxitate atque atonia vasorum uteri minimorum collocandum esse censent.

2) Gottl. Richters speciell Therapie. 3. Bd. S. 785.

diant, satis contrahuntur; qua propter catamenia vel deficient, vel menses parciore fluant necesse est.

Quae causae in puellis viro maturis mensium defectui vel pariori fluxui oriundo ansam praebent, sunt atresia, nec non alia vitia organica partium genitalium, rigiditas fibrarum uteri nimia, laxitas et atonia, spasmi, animi pathemata, inprimis amores, vita misera; in feminis vero chloroticis laxitatem vasculorum uteri minimorum, eamque solam amenorrhoeae causam esse existimamus. Quae nostra sententia de causa proxima a pluribus medicis non probatur; nonnullas enim puellas, dicunt, chloroticas solius martis usu, catameniis nec omnino procreatis, nec ad legitimum fluxum reductis, convaluisse; chlorosin igitur nullum cum catameniis connubium iniisse; at observationum virorum expertissimorum memor illis lubenter quidem largiar, symptomata morbi interdum imminuta aut profligata videri, aegrotam vero ad perfectam sanitatem esse perductam, nisi catamenia evocaveris, vel ad justum fluxum perduxeris, nego. Id quod observatione sequente, a patre mecum communicata, luculentius demonstratur.

Puella tenera et gracilis duodeviginti annos nata, (mater ejus induratione hepatis, et orto inde

hydrope mortua erat; pater morbo abdominis chronico laborabat), cui catamenia a primo paene non legitime fluxerant, deinde sensim sensimque fluere desierant, morbo chlorotico correpta continuo vini martiati usu convaluerat, mensium fluxu minime revocato. Amplius octo menses sat bene se habebat; tum palescebat, et ne multa, chlorosis recrudescebat. Iterum ex martis usu sanitas recuperata est; catameniis nondum restitutis. Medicus, variis remediis emmenagogis incassum tentatis, virtute radicis hellebori nigri, cujus vim catamenia pellendi expertissimus Heberdenius *) in commentariis in dubium vocare videtur, tandem mensium fluxum elicere potuit, quo et post hac legitima ratione fluente, puella integerrima valetudine fruens evasit.

Etenim si tibi contigerit, in chloroticis laxitatem et atoniam ita emendare, ut circuitus sanguinis per uterum totumque corpus acceleretur, neque tamen sufficiente ad sanguinis effluvium producendum gradu, symptomata morbi quidem decrescunt; nihilominus tamen causa ejus proxima superesse potest. Ferri enim usu, et per uterum et per reliquum corpus circulatione aucta, omnibusque

*) Heberdenii commentaria — deutsch von Niemann — Leipzig 1805. Vt. 27.

secretionis et excretionis functionibus ad normam reductis, symptomata morbi imminui non est mirandum. At, catameniis etiam nunc retentis aut retardatis, scintilla sub cineribus gliscit, aliquando, si occasio data erit, in flammam eruptura.

§. 7.

Ad morbum virgineum vasorum uteri capillarium laxitas, atonia, et orta inde sensibilitatis et irritabilitatis imminutio sive innata, sive causis extraneis acquaesita disponunt; unde puellae habitus laxi spongiosique procliviores fiunt ad chlorosin, et quae res fibram mollem spongiosamque reddunt, veluti abusus infusorum calidorum, utut Theae etc. dispositionem quam maxime adaugent. In his causis altera etiam ratio latet, qua in Hollandia morbus virgineus admodum frequens sit; aër nimirum humidus et nebulosus.

§. 8.

Causae procatacticae eo agunt, ut vasorum uteri capillarium laxitatem atque atoniam, qua simul sese contrahendi eorum vis imminuitur, inducant. Huc spectant:

- 1) Victus pravus, glutinosus, parum succi nutri-

cii continens, plerumque e regno vegetabili depromptus, tum maxime usus inmodicus bulborum solani tuberosi, panis e secali paratus, non satis coctus, viscosus, aut acescens.

2) Vita sedentaria praesertim, si domicilium aegrotae, aëre vitiato, humido repletum est.

3) Aër vitiatus et humidus.

4) Onania.

5) Moeror et tristitia, inprimis amores, qui male cesserunt.

6) Aliae denique causae, quae, laxitate et debilitate systematis sexualis conciliatis, deficientem aut parciozem mensium fluxum procreare valent. — (Cl. Kopp*) morbum quibusdam annis frequentiozem esse affirmat, quae res inprimis tempestati humidae, tunc regnanti, tribuenda esse videtur; propterea quod illa aëris constitutione et transpiratione insensibilis supprimitur et partes solidae, multis aquae particulis receptis, laxantur et debilitantur.

*) Kopp — Denkwürdigkeiten in der ärztlichen Praxis. 3. Bd. 286 Seite.

§. 9.

Exitus morbi chlorotici. Morbus virgineus aut in sanitatem, aut in alium morbum transit, aut morte terminatur; neque tamen stadia habet, nec certo temporis spatio continetur.

Prognosis. Si chlorosis neque in alium morbum exierit, neque vitia organica imi ventris et pectoris effecerit, nec morbi occasio superstiterit; laeta est prognosis atque aegrotae sat cito convalescunt. Nonnunquam morbus noster matrimonio inito cessat. Si contra ob paupertatem et tristitiam perpetuam graves morbi occasiones removere, et quod ad victum spectat, secundum valetudinis recuperandae praecepta rite instituere non valueris; chlorosis magis magisque ingravescit, symptomata hydropica accedunt et tandem aegrotae febris lenta consumuntur.

§. 10.

Cadaverum sectio. In cadaveribus hoc morbo extinctarum varia reperiuntur imi ventris et pectoris vitia, q. s. indurationes hepatis, lienis, imprimis uteri et ovariorum, collectiones aquae in cavo pectoris et abdominis, tubercula vel exulcerationes pulmonum; sanguis languide rubens, pal-

lilidus, aquosus, parum cruoris continens, serius neque firmiter coagulans.

§. 11.

Hac morbi nostri natura (§. 6.) phaenomenorum chlorosis pathologica expositio nititur.

Deficientem aut parciorem mensium fluxum a laxitate et atonia vasorum uteri capillarum ortum trahere supra jam docuimus. Exiguam autem cruoris in sanguine copiam partim ab eadem laxitate atque atonia, qua legitimi secretionum et excretionum processus, imprimis vero functiones systematis gastrici turbentur, partim a solutione et corruptione sanguinis in vasculis uterinis ob tardioorem motum derivandum esse arbitror. Hac exigua cruoris parte, sero praevalente, pallor cutis, labiorum et gingivarum inducitur. Quum vero solida laxa debiliaque sint, aucta simul seri copia, non solum major seri quantitas in telam cellulosam exhalatur; sed etiam seri exhalati resorptio ob debilitatem vasorum lymphaticorum imminuitur.

A laxitate et debilitate musculorum, qui motui voluntario inserviunt, artuum oritur lassitudo et inertia. Pedum frigus circuitui sanguinis immutato, eorum vero inflationem seri stagnationi e dif-

ficiliori humorum ab extremitatibus inferioribus refluxu nascenti adscribimus. Respirandi difficultas cum a laxitate et debilitate musculorum, qui respirationi praesunt, tum a collecta in pectoris cavo aqua pendere videtur. Pathemata hysterica, inprimis clavus hystericus consensu, quem cum encephalo et nervis uterus agit, derivanda esse arbitramus. Ex eodem fonte fluunt etiam moeror, tristitia, ceteraque phaenomena psychica in puellis chloroticis obvia.

Urina ab initio morbi ob majorem seri et particularum aquosarum abundantiam limpida et aquea, morbo procedente et ingravescente, quem febris hectica supervenerit, turbida apparet, facta post singulos paroxymos febriles critica particularum corruptarum et acrium, quibus febris accensa est, per renes excretionem. — Fames autem praeternaturalis verisimile eo oritur, quod succus gastricus ob tardum ventriculi motum peristalticum et segnem hujus humoris excretionem ad acorem inclinat, sicuti alii aegroti, in quibus succus gastricus aliquantulum accessit, q. s. hystericae, hypochondriaci etc. pariter fame praeter naturali laborare solent. Leucorrhoeam denique, qua feminae chloroticae nonnunquam afficiuntur, partim sanguini earum aquoso et mucoso, partim solidorum laxitati atque debilitati tribuendam esse non dubitatis. — Vitia organica, in

cadaveribus obvia, exitus mere sunt inflammationis viscerum chronicae, ab humoribus in utero, ob motum retardatum, corruptis natae.

§. 12.

Cura. Quae ad rationem medendi attinent, in eo potissimum posita esse videntur, ut sublatis vasculorum uteri laxitate atque atonia, restitutoque hisce vasis tono normali, catameniorum fluxum vel inducere vel revocare studeas. Cui rei, a) removenda causa morbi occasionali, b) uteri vasculis tono restituendo, ut fluxus mensium legitime procedat, satisfeceris, ideoque, aa) rite instituendae sunt res, quae ad victum spectant, et bb) adhibenda medicamina, quae virtute, quam specificam dicunt, vascula uteri et irritandi et corroborandi, pollent. Insuper morbi, qui chlorosin consequi solent, vel sanandi vel leniendi sunt. Nunc de singulis hujus indicationis partibus accuratius agamus.

§. 13.

Ratio causas procatarecticas tollendi pro varietate causarum varia est. — Victum igitur pravum, glutinosum, e regno vegetabili desumptum cum cibis commutes e regno animali, qui, faciles digestu, bonum succum nutricium praebent, v. c. jus-

cula carnis cum vitello ovorum, sago, oryza etc. parata, caro assa leporina, gelatina carniū etc., panis sit bene coctus, neque e secali, sed e tritico confectus; pro potu vinum generosum, cui aqua immixta est, aut cerevisia amara exhibeatur; evitetur immodicus aquae, praesertim calidae, usus, v. c. potus Theae. — Quae aegrae vitam sedentariam exercent, aëre puro ac sereno et tepido sub divo saepissime ambulatum eant; aër autem frigido — humidus, nec minus conclavia decliviora, vaporosis humoribus repleta, pro somno capiēdo iis infestissima sunt. Moestae ac tristes virgines legendis dulcibus poëtarum carminibus, colloquiis hilaribus, modico labore v. c. hortorum cultura, excitarentur, earumque animus abjectus erigatur.

§. 14.

Vis medicaminum, quae ad vasa uteri sanguifera corroboranda tendunt, valetudinis recuperandae praeceptis rite institutis et diligentissime observatis augeatur. Quae igitur ad victum et amictum, ad motum et quietem, ad somnum, ad animi pathemata etc. pertinent, hac ratione eligenda sunt, ut eorum ope vasculis uteri laxis et debilibus robur et tonus restituatur. Quum tamen de hisce rebus supra jam sermo fuerit; hic silentio eas super sedeamus.

§. 15.

Cura therapeutica. Medicamen, cujus vis
 fere specifica uteri vascula laxa et debilia firmandi,
 iisque tonum restituendi ab omnibus laudatur, est
 ferrum, quippe quod non solum fibras roborandi,
 sed etiam irritandi et sanguinis motum augendi
 virtute excellit; quum vero digerendum sit difficile,
 priusquam adhibetur, alia sunt praemittenda.

1) Sordes in abdomine, praesertim in intestinis
 accumulatae antea remediis idoneis sunt evacuan-
 dae. Quam ad finem emeticum e tartaro stibiato
 aptissimum videtur, quod dum materias nocivas eje-
 cit, vomituratione effecta conquassationem procreat,
 quae resorbentium atque absorbentium vasorum ac-
 tionem auget; eoque simul absorptionem in toto
 intestino mutat. Quo remedio adhibita mercurius
 dulcis ita dari debet, ut ejus usu salivatio non
 producat. Quum praeterea acidae rancidaeque
 materiae adsint, celebrata Unzeri compositio (conch:
 praeparat; et tart: vitriol: nitrique partes aequales)
 maxime convenit. Denique quum chloroticae ob-
 structione alvi, induratione atque desorganisatione
 viscerum abdominalium laborent, mercurius dulcis
 cum variis remediis resolventibus, uti sapone, ex-
 tracto Chelidonii, aqua Karlsbadensi, clysmatibus
 Kaemphii ast abhibendus.

2) Nervorum erethismo opponimus remedia antispasmodica, q. s. Castorium, Valeriana, Asa foetida, Moschus, Hyoscyamus, Belladonna, Opium.

3) Magna systematis vasorum irritatio acidis mineralibus (acido phosphorico aut acido Halleri) impugnanda est..

4) Nutritioni primum remediis amaris: China, subveniamus; tum ad ferri usum transeamus.

Quum ferrum, ut jam supra dixi, digestu difficile, non solum fibras roborandi; sed etiam irritandi et sanguinis motum augendi vim exerceat; cautissime id adhibeas hisce praeceptis satisfactorus.

a) Inter ferri usum corpus ambulando frequentissime exerceas.

b) Ubi alvus obstructa est, rheo, senna, aloe, etc. solvatur.

c) Mitiora hujus medicaminis praeparata sunt tincturae — tinct: ferri pomata, tinct: Zwelferi, tinct: ferri muriat; etc., vina chalybeata etc. Ferrum pulveratum et difficiliter concoctu est, et magis irritat; qua propter non adhibendum, nisi satis valida concoctione et cum medicamentis amaro — aromaticis conjunctum. In aquis medicatis martialibus ferrum maxime solutum ad coquendum facillimum exstat.

Ferrum ad incitamenta, quae fixa dicunt, pertinens ita in vasa sanguifera et cor agit, ut non solum fibrarum contractiones accelerentur, verum etiam efficaciores reddantur; et simul cruoris copia augeri videatur; maxime igitur differt ab ex-

citantibus volatilibus, quae per sanguinem ad corporis colatoria translata cito eliminantur.

d) Si ventriculus languet, concoctioque laesa est, stomachus antea medicamentis amaro — aromaticis firmari debet (vide hujus §. initium).

e. Si pulsus plenior atque celer est, energia atque vis vitalis excedunt; ab usu martis aut omnino abstinenceas, donec sanguinis orgasmum refrigerantibus compressare valueris, aut si fieri licet, praeparata martis mitiora cum acidis mineralibus porrigas.

f. Si propter nimia systematis gastrici sensibilitatem et irritabilitatem martis usus dolorem ventriculi aut diarrhoeam infert; amaro-aromatica et opium ferro addas.

§. 16.

Quum ferrum, quo atonia tollatur, catameniaque evocentur, non sufficit, summaque atonia omnium fibrarum adest; aloe, myrrha, helleborus, sabbina etc. ad mensium fluxum elicendum prae ceteris valent. Haecce sub rerum conditione etiam electricitas commendatur.

§. 17.

Ferro, remediisque emmenagogis, ut catamenia ad legitimum fluxum perducas, frustra tentatis, nonnunquam salutis recuperandae spes in matrimonio haerere visa est.

§. 18.

Virgine chlorotica nonnunquam subito sanguinis orgasmus accedit; pulsus evadit plenior, durus, celer, ut paucis absolvam, symptomata status hy-

persthenici adesse videntur; quae tamen plerumque fallacia sub specie debilitatis verae falsam recondunt. Refrigerantia v. c. nitrum, sal ammoniac, imprimis acid. mineralia, elixir acid. Halleri etc. hic conveniunt; ad venae sectionem vero rarissime transeas, cum ex sententia Fr. Hoffmanni inimicissima sit iis, qui, mole vitiosorum humorum turgidi, parum sanguinis intra venas recondant (loc. cit. p. 316. §. 1.)

§. 19.

Hydrope accedente remedia diuretica, amaro-aromaticis, martiatis nupta v. c. bacc. juniperi, squilla etc. utilia sunt. Pedes frigidi et oedematosi probe tegendi et modico calore sunt servandi; involvantur linteis, arcte constrictis, ut laxitas emendetur, et promptior humorum fiat refluxus. Pediluvia, quae laxitatem et tumorem augment, nocent; sin autem tumor jam imminuitur, frictiones ope linteorum calidorum, vaporibus aromaticis imbutorum insuper adhibeantur. Ubi vero phthisis pulmonalis supervenerit, iis, quae huic morbo conveniunt, utendum est.

Si, medicamentis martialibus adhibitis et diaeta idonea, chlorosis quidem profligata videtur; catamenia tamen non apparent, aut non legitime fluunt; ad ea, quae dicuntur emmenagoga, q. s. borax venet., aloe, crocus, sabina, helleborus niger confugiendum est. Cl. Kopp has formulas valde laudat.

1. Rcp. borac. venet. dr. iii

aloes lucid. gr. xxxvi

extr. sabin. scrup. jv

Mf. pilul. Nro. 180, consp. pulv. herb.

menth. piperit., d. ad vitrum.

S. ter die 4 — 5 pilul. sumend.

2. Rep. flor. sal. ammoniac mart. dr. j

pulv. herb. sabin.

extr. sabin. āā dr. ii

Mf. pilul. Nro. 130, consp. pulv.

rdc. alth. — S. quater die 5 pilul. sumend.

3. Rep. pulv. fol. sabin.

extr. sabin āā unc. β

aloes lucid. dr. β

ol. sabin. gen. gtt. xxx

aethiop. martiat. dr. jβ

Mf. pilul. Nro. 200, consp.

pulv. rdc. calami aromatic.,

d. ad vitrum. — S. mane,

post meridiem, vespere et

ante somnum capiat aegrota

6 pilulas.

**Pater meus in ejusmodi casibus hisce formulis
uti solet:**

1. Rep. ferri pulverat. dr. i

galban. depurat.

extr. myrrh. aquos āā dr. ji

ol. sabin. gen. gtt. xv

Mfc. extr. gentian. rubr. q. s.

massa pilularum, ex qua for-

mentur pilul. pond. gr. ji

S. sumat aegrota ter die 8 — 10 pilul.

2. Rep. conserv. sabin. dr. β

ferr. pulverat. gr. v

syrup. cort. aurant. q. s.

Mf. bolus prodosi.

3. Rep. pulv. herb. sabin.

sach. alb. āā gr. x — xv

limat. mart. gr. vj

Mf. pulv. prodosi.

Huic dissertatiunculae, ut colophonem addam, virginis chloroticae historiam, quam prater, medicinae artem XLV annis amplius exercens ex adversariis medicis mecum communicavit, subjiciendam putavi.

Puellae viginti tres annos natae, corpore laxo et spongioso praeditae, quae, angustam una cum parentibus aediculam sordidam, aëre humido impuroque repletam habitans, et filis ducendis victum quaesitans, a teneris, uti Graeci dicunt, unguiculis vitam miserimam degerat; anno demum aetatis undevicesimo primum catamenia fluebant, post aliquot tempus autem octonis vel denis mensibus parciora et pallidiora reversa, omnino evanuerunt. Quo facto facies virginis pallidior evadebat. Accedant lassitudo et inertia artuum, appetitus prostratio, alvus astricta, animus morosus. At tamen haud prius auxilium petiit aegra, quam, morbo magis magisque ingravescente, lecto affigeretur. Medico advocato, quum primum eam videret, haec fere se offerebant symptomata: facies pallidissima et tumida, nec non labiorum et gingivarum pallor, ingens artuum lassitudo, cordis palpitatio inter corporis exercitationem, appetitus prostratus, lingua pura et tumida, respirandi difficultas, alvi obstructio, urinae secretio imminuta, extremitates frigidae, oedema pedum et manum; pulsus parvus, mollis, frequens; moeror, aliaeque affectiones hystericae. — Quum causae procatarticae tollendae viderentur, nec morbus ad eum pervenisset gradum, cui ars medica impar haberetur,

nec cum vitiis organicis esset conjunctus, bonam prognosin medicus pronuntiat, hasque ad malum sanandum sibi proponit indicationes. — a. Causa occasionalis chloroseos tollatur, b. catamenia ad legitimum fluxum reducantur, c. symptomata hydropica submoveantur.

Ad primam indicationem explendam, aegrotam abstinere a cibis crudis viscosis, contra alimenta cum ad concoquendum facilia, tum multum succi nutriticii praebentia, praesertim ex regno animali desumta, q. s. juscula carnis cum ôryza, hordeo decorticato, etc., caro assata, praesertim ferina sumere jubet. Pro potu cerevisia amara exhibeatur, nonnunquam aliquantulum tincturae spirituosae aromaticae hauriatur. Aër in cubiculo crebra ventilatione purgetur, sabulo, quam maxime sicco, pavementum conspergatur. Aegrota saepissime lectum relinquat, et in conclavi ambulare conetur. Leniter perfricentur aliquoties laneis pannis, vapore aromatico imbutis, extremitates inferiores et superiores et dorsum, quo circulus sanguinis augeatur. Denique confabulationibus gratis animus erigatur abjectus.

Secundae indicationi medicus satisfacere studuit medicamentis, quae relaxata uteri vascula firmandi et irritandi, catamenia igitur revocandi virtute pollent. Inter quae quum vi sua, in uterum agendi quasi specifica, ferrum praestet: propter concoctionem laesam praeparatum ejus mitissimum i. e. tinct ferri pomata ad cochlearium minus ter quaterque per diem exhibitum est. — Ad alvum solvendam sumebat aegrota ext. oloes aquosum ea dosi, ne alvus saepius quam semel vel bis per nyct-

hemerum deponeretur, neve diarrhoea oriretur. Ut urinae secretio augeretur, infusum aquosum radic. ononid. spinos., calam. aronatic., herb. trifol. fibrin., baccar. junip. praescriptum est. Ferrum viribus stomachi concoctricibus optime respondebat. Usu remedii aloetici alvus semel per diem ducebatur et remediorum diureticorum ope secretio urinae aucta est; quum tamen major ejus copia ad hydropem sanandum opus esse videretur, speciebus antea dictis mixtura ex infuso herb. digital. purp., rdc. seneg., roob. junip., oxymel squillit., addito extracto rdc. calam. aromatic. substituebatur. Quibus remediis adhibitis pedum manuumque oedemata sensim sensimque evanescere, appetitus rediit bonus; facies evasit vegetior atque coloratior, lassitudine membrorum imminuta, moerore cessante atque tristitia, aegra ambulatum subdivo ire valebat. Quum vero catamenia non apparerent; pater meus, concoctione sufficienter firmata, alvoque ad normam reducta, ad fortiora martis praeparata recurrendum putavit, limaturamque martis hacce formula praescripsit.

Rcp. ferr. pulverat.

rdc. zingib. āā. ʒ iʒ

sach. alb. ʒ iii

Mf. pulv. dvd. in xii p. aeq.

Ter die pulvis cum aliquantulo vini boni rhenani sumatur; corpus ambulando exerceatur. Haud multo catamenia regulariter fluebant, ceterisque morbi praegressi symptomatibus remotis, optima valetudine aegra est gavis.

V I T A.

Ego, **Leo Rave**, fidei catholicae addictus, natus sum in Guesphalorum oppidulo, cui nomen est **Ramsdorf**, anno hujus saeculi tertio decimo ipsis calendis Junii a patre **Alexandro Rave**, medico practico, et matre **Gesina**, quos adhuc superstites pia mente veneror. Primis literarum rudimentis a patre meo optimo instructus, progymnasium Vredense per tres annos frequentavi, quo facto gymnasium Coesfeldiense adii. Maturitatis testimonio munitus Monasterium petii, et civibus accademicis adscriptus, praelectiones, quae ibi de rebus philosophicis et medicis habebantur, hasce audiui: de logice **Cl. Schlueter**, de physice experimentalis **Ill. Rolling**, de chemia **Cl. Schmedding** de botanice et zoologia **Cl. Becks**, de anatomia generali et speciali **Cl. Tourtual** et **Riefensthal**, qui etiam cadavera rite secandi artem me docuerunt, de pathologia generali **Cl. Busch**, de diaetetica, de therapia generali et speciali, nec non de pathologia speciali et materia medica **Cl. Wirtensohn**, de physiologia **Cl. Haindorff**, de chirurgia **Cl. Klatte**.

Exeunte fere anno **MDCCCXXXV**. ad aliam universitatem **Bonnensem** me contuli et a rectore magnifico, **Ill. Naeke**, in numerum civium academicorum receptus et a **Ill. Ern. Bisschoff**, tum temporis decano spectatissimo in album ordinis medici relatus hasce praelectiones frequentavi: de anatomia generali et speciali, de arte cadavera rite secandi **Ill. Meyer** et **Ill.**

Weber, de chirurgia, oculorum morbis, de a-
kiurgia et anatomia chirurgica Ill. Wutzer, de
therapia generali Ill. Nasse, de therapia speciali
Ill. Neumann.

Per annum unum Bonnae commoratus
autumno anni MDCCCXXXVI. Berolinum, al-
mam musarum sedem petii et, a prorectore ma-
gnifico, Ill. Busch, civibus accademicis adscri-
ptus, apud Ill. Mueller, t. t. decanum specta-
tissimum nomen professus sum. Hic in noso-
comio caritatis clinica medica, ducibus Ill. Bar-
tels et Cl. Wolff, clinicum chirurgicum, duce
Ill. Rust, clinicum ophthalmiatricum, duce Ill.
Juengken, nec non policlinicum medicum et
chirurgicum, duce Cl. Truestedt frequentavi.
Artem obstetriciam tam theoreticam, quam pra-
cticam ab Ill. Kluge accepi. Quibus omnibus
viris, de me optime meritis gratias ago maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et
medico, nec non examine rigoroso coram gratioso
medicorum ordine rite superatis, spero fore ut,
dissertatione thesibusque publice defensis, summi
in medicina et chirurgia honores in me confe-
rantur.

T H E S E S.

- I. Causa proxima non est morbus ipse
- II. Vis vitalis in inflammatione est aucta.
- III. Iridectomy ad pupillam formandam artifi-
cialem omnibus aliis methodis est prae-
ferenda.
- IV. Fistula ani saepe operationem non admittit.



